



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Hierakosophion**

**Demetrius <Pepagomenus>**

**Lvtetiae, 1612**

I. Ad dolores lumborum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12846**

præbebis edendum ex carnibus: vel sandracam ex carne dabis, & sanitatem recipiet.

*Ad dolores lumborum.*

CVM videbis accipitrem, vel manu gestatum, vel ad prædam emissum, capite agrauato & dormitante deferri, & caudam frequenter flectentem, scito ipsum lumbagine & torminibus laborare. hoc medicamento sanabis. In aquam coniicito radicum asparagi vnciam, poci infra terram generati sextantem, herbæ vesicariæ quadrantem; in cucuma testacea decoquito ad tertias, decocto eius lumbos foueto per septem dies. aduersus tormina hoc remedium adhibebis. Lumbricos terrenos coques, eorum sumes siliquam, laseris siliquam alteram, album liquorem oui, in unum miscebis, eaque ex carne dabis accipitri per ipsos dies, cum ipsum superiori decoctione fouebis.

*Aliud remedium.*

Tiliam, alimi semen, oleum laurinum & lentiscinum ex aqua coques, hisque accipitrem fouebis; olea quidem separatim coques, & deinde miscebis. Vino calefacto & per spongiam expresso accipitrem fo-

uebis, & ad iusta perduces. Vel picem aridam contritā eius potui dabis, & restitues pristinæ valetudini.

*Ad tubera pedum.*

**C**VM accipiter habet tubercula in pedibus, tintinabulum paruum facito instar tuberculi, vehementer calefacito, idque ignitum super tuberculum impo nito: sed cautè, ne aliam carnem perstrin gat, & tamen ad radicē tuberculum com burat, ac quani mox saponem Gallicum, laurinum oleum, stercus columbæ in ollam nouam coniecta diligenter calefacito, & frequenter eius pedes, & perticam cui insisteret solet linito, & sanabitur. Vel ipsum tuberculum sauciato, carbonemq. tritum cum oleo Hispanico plagæ imponito.

*Ad tubera & rimas pedum.*

**S**VILLVM stercus in furno desiccabis, aquæ dulci miscebis, eaque alutæ illita afflictæ parti impones, & confessim discutietur. quod etiam hominibus simili morbo laborantibus auxiliatur. Sunt qui saponem Gallicum, vinum teaphin, cum ærugine rasili contundunt, accipitri alligant.

*Ad pustulas.*